



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

14. Cum ab ipso &c. Imponuntur tres integræ decimæ redditibus Clerici Itali
& adjacentium Insularum ad sublevandas Ærarii Apostolici angustias,
propter suppeditata Christianis Principibus in bello ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Imponuntur tres integræ decimæ redditibus Cleri Italici & adjacentium Insularum ad sublevandas Ærarii Apostolici angustias, propter suppeditata Christianis Principibus in bello Turcico subsidia.

XIV. INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exorditur ab ardentibus ad Deum pro Ecclesiæ bono suis precibus.

Loquitur de immanibus armorum Turcorum progressibus.

De foedere Joannis Poloniarum Regis cum Leopoldo Romanorum Imperatore inito.

Victoria contra Turcam per majores Ecclesiæ supplicationes obtenta.

A novo ejusdem Tyranni impetu metuendum.

Ærarium Apostolicum ob præstita Principibus Christianis subsidia exhaustum.

Cum ab ipso Nostri Pontificatus initio, ad quem Divina clementia in altitudine divitiarum sapientiae, & scientiae suae Nos meritis licet impares exivit, malis undique afflictam scissamque discordiam Christianam Republicam videremus, ad Dominum in amaritudine cordis Nostri clamavimus, eumque deprecati sumus, ut secundum multitudinem miserationum suarum redimeret Nos à malis, & non daret hereditatem suam in perditionem, & in opprobrium. Quod quidem postea eo ardentioribus votis efflagitavimus, quo rebus quotidie magis in derelictis labentibus omnia periculis plena esse videbantur. Nam expugnatis jam ab efferro Turcarum Tyranno Varadino, Neoselio, & Camenecio munitissimis Hungariae, & Podoliae arcibus, & Cretæ Regno post diuturnum, acerbissimumque bellum subactis, Germaniae, atque ipsiusmet Italiae cervicibus foedissimae servitutis iugum imminerebat. Hac inter vota, & curas pastoralis Nostrae sollicitudinis terribilissimus hostis, atque in omnem occasionem rei bene gerendae semper intentus immanissimus, si unquam antea, exercitu ex omni Barbarorum colluvie comparato, ipsis rebellibus Hungaris deducenibus Hungariam, Austriam, atque iis contemnas Provincias invasit, foedeque sacra, & profana omnia igne, ferroque populus, ingenti quoque Christianorum multitudine in servitutem redacta, Viennam Germanici Imperii domicilium, & publicae salutis propugnaculum arctissima oppugnatione est aggressus. Cum Charissimus in Christo Filius Noster Leopoldus Romanorum Rex in Imperatorem electus ingruenti subitae tempestate nondum viribus par esset, & Charissimus in Christo Filius itidem Noster Joannes Poloniarum Rex Illustris, Magnique Ducatus Lithuaniae Magnus Dux, qui periculi propinquitate, & magnitudine, ac Nostri denique hortationibus excitus, sedus cum Caesare inierat, pluresque praecleari ex Imperio Principes, & Ordines nondum instructi, paratique essent ad communem calamitatem repellendam.

Nos igitur penè desperatâ, conclamataque republicâ ad Dominum enixius confugientes, majores supplicationes per universam Ecclesiam indiximus, ut in jejuniis, & fletu audiret Deus, secundum magnam misericordiam suam gemitus compeditorum, & solveret filios interemptorum, averteret iram suam à Nobis, ipsamque inmitteret in gentes, & in regna, quae nomen suum non invocaverunt. Exaudivit Dominus preces populi sui, exsurrexit, & dissipavit inimicos, piis, fortissimisque Christianorum Principum copiis, in virtute ejus strenuè pugnantis. Quâ sanè admirabili victoriâ, in qua Christianus populus ab acerbissimâ servitute penè redemptus praesentem Dei dexteram in attritione cordis agnovit, uti potius, quam frui opus est, publicâ nondum securitate firmatâ, & Turcico Imperio immani mole suâ iustum adhuc omnibus timorem incutiente; Nec enim dubitandum videtur, quin ab immiti hoste vindictae cupido, & ob acceptam cladem furore percito bellum redintegrari quam primum debeat. Nos quidem paternâ charitate Nostrâ publicam causam, & praeclearos, Christianaeque Religioni salutare fortissimorum Principum conatus juvare, ut par est, & proficere cupientes in tantis Apostolici Ærarii ob praestita jam à Nobis eidem Leopoldo, & Joanni Re-

gi subsidia, angustis ad Cleri Italici, & adjacentium Insularum redditus, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inherentes, animum adiacere cogimur.

§. 1. Maturâ igitur super hoc cum Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus deliberatione habitâ, de eorumdem consilio, & assensu indicimus, & imponimus tres integras decimas infra quinquennium, ut infra persolvendas, omnium, & quorumcunque fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, distributionum quotidianarum, & emolumentorum ordinariorum, & extraordinariorum in quacunque re consistentium, undecunque, quomocunque & qualitercunque etiam ex pede Altaris, aut aliâ quomodolibet, & quovis modo provenientium, & proventuorum, omnium, & quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiarum, ac Parochialium, aliarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & Conventuum, ac etiam mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopaliarum, Abbatialium, Capitularium, & Conventualium, Prioratuum quoque, Praepositarum, Praeceptoriarum, Canoniciarum, & Praebendarum, Dignitatum, Personatum, Administrationum, & Officiorum, Cappellanarum, ceterorumque Beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, etiam Jurispatronatus Laicorum, tam ex Privilegio, quam ex fundatione, & dotatione, vel alio quocunque titulo, cum cura, & sine cura Secularium, quorumvis Ordinum Regularium in titulum, commendam, administrationem, aut aliâ quomodolibet obtentorum, & in posterum obtinendorum, Sancti quoque Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacen. Cisterciens. Praemostren. S. Basilii, & qui proprietates redditusque certos ex Privilegio, vel aliâ possident, Mendicantium, ac quorumque aliorum Ordinum utriusque sexus, nec non Cassinen. alias S. Justinæ de Padua, Carthusien. Lateranen. Montis Oliveti, Camaldulen. S. Salvatoris, Vallis Umbrosæ, Coelestinorum, Cisterciens. in Longobardiâ, Silvestrinorum, ac Clericorum Regularium Societatis Jesu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Institutuum Regularium exemptorum, & non exemptorum.

§. 2. Et insuper Hospitalium, etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona, & redditus ultra infirmorum necessitates, & aliâ pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium; nec non Beatæ Mariæ Theutonicorum, S. Lazari de Alto passu, & aliarum Militiarum in universa Italiâ, & Insulis Italiae adjacentibus consistentium, secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum praefactorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica, & pro ea cum Dilecto Filio Nostra Palutio tit. S. Chrysogoni Presbytero Cardinali de Alteriis nuncupato S. R. E. Camerario nunc, & pro tempore existenti fuerit concordatum.

§. 3. Exceptis dumtaxat ejusdem S. R. E. Cardinalibus ob assiduos magnosque labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, gravissimaque tuendae Dignitatis causa sustinent onera, & quia jam praeventivè notabiles pecuniarum summas in memoratam causam contulerunt, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani, qui pro Christiani Orbis defensione adversus Turcas praefatos semper gerunt bella, nec non aliis Parochialibus Ecclesiis, quæ etiam computatis incertis & aliis supra expressis triginta unius ducatorum auri de Camera, cum uno quarto alterius ducati parisi, illisve Beneficiis, quæ computatis praefatis incertis, & distributionibus quotidianis septem ducatorum similium valorem annum non excedunt, dummodò tamen Parochialium seu Beneficiorum hujusmodi titulares, una cum illis aliâ beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones, valorem praedictum conjunctim excedentia non possideant, seu percipiant, quia tunc illos ad easdem decimas solvendas obligatos, & adstrictos esse declaramus.

Tres igitur decimæ omnium Cleri Italici & adjacentium Insularum Ordinum redditibus imponuntur.

Etiam redditibus Hospitalium & Militiarum B. Mariæ Theutonicorum & S. Lazari de Alto passu.

Excipiuntur S. R. E. Cardinales, Milites S. Joannis Hierosolymitani, alique Parochiales Ecclesiæ, Beneficia quæ certam annui valoris summam non excedunt.

Dictæ tres
decimæ
quibusvis
etiam pen-
sionibus
annis im-
ponuntur.

§. 4. Ac etiam indicimus, & imponimus tres similes decimas omnium, & quarumcunque pensionum annuarum, super quibusvis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum huiusmodi in favorem quorumcunque, non tamen Cardinalium, ac Militum S. Joannis Hierosolymitani prædictorum, reservatarum, & assignatarum, seu translatarum, aut reservatorum, & assignatorum, seu translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandorum, & assignandorum, vel transferendorum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscunque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati, ac cæteris cujuscunque dignitatis, gradus, status, Ordinis, Militiæ, & conditionis personis infra scripto quinquennio durante præfata quocunque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, nec non Oeconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia huiusmodi jura, ex quacunque causa sibi Apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris, Secularibus, & Regularibus Ordinibus, Constitutionibus, Militariis, & Hospitalium præfatorum, (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) nec non ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, mensis, massis, & locis, & quocunque privilegio, exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata sussultis.

Solutioni
termini

§. 5. Quas omnes decimas prædictasolvere obligatos, ut præfertur, easdem infra quinquennium proximum quinque æqualibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem festum Apparitionis S. Michaelis Archangeli mensis Maji proximè futuri, & successivè pro reliquis quatuor solutionibus, singulo quoque anno ratam partem intra festum huiusmodi cujuscunque anni immediatè usque ad totalem solutionem Cameræ prædictæ, & illius Depositario Generali ad id constituendo omnino volumus perfolvisse.

Subcolle-
ctoribus
ne ultra
competen-
tis salarii
taxam præ-
tendere
quicquam
audeant,
inhibetur.

§. 6. Subcollectoribus autem decimarum huiusmodi extra Urbem Nostram, ut infra deputandis, ne ultra taxam competentis salarii in eorum deputatum Litteris patentibus designandam, quicquid petere, vel prætere, aut percipere audeant, specialiter, & expresse, ac sub poenis in contravenientes arbitrio ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii infligendis, prohibemus.

Depositarii
munus.

§. 7. Ejusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quicquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter asservetur, de mandato Nostro speciali, in præfatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

Pœna con-
travenien-
tibus di-
ctatur.

§. 8. Quicumque vero adeo indurato corde & ratione carens extiterit, quod non sit factus alieno periculo cautus, & tantæ avaritiæ arserit, ut quod gratis ab Ecclesia accepit, particulam accepti eidem periclitanti reddere reculaverit, decimas huiusmodi nullo modo, vel non integrè, scienter, aut non secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera prædictis, ut præfertur, ineundam, sive in terminis constituendis non exhibuerit, seu in illorum exhibitione malitiam commiserit, vel fraudem: si Ecclesiarum Antistes fuerit, suspendimus à Divinis: Capitula vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdicto supponimus: ac singulares personas Antistites inferiores excommunicationis sententiâ innotamus, ac in pœnam privationis tam Beneficiorum, quam pensionum ipso facto incurrisse declaramus.

§. 9. Cæterum, ad prædictas decimas confectendas præcipimus etiam omnibus Conductori-
bus, Censuariis & Affictuariis proprietatibus, fructuum, rerum & jurium prædictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, ut memoratas Decimas nomine Dominorum, ac Pensionariorum ad computum suæ cujuscunque locationis, omnibus verò possessoribus, & usufructuariis, & aliis, pensiones, seu fructus, aliaque prædictaolvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi nomine Pensionariorum, Cameræ, & Depositario prædictis integrè perfolvant.

Facienda
Conducto-
ribus, Cen-
suariis, Af-
fectuariis,
& decimas
ex possessione
olvere de-
bentibus.

§. 10. Decernentes, Decimas fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum jurium prædictorum secundum verum valorem annum, alias verò pensionum decimas ad eandem rationem trium decimarum durante dicto quinquennio, præstari debere, & secundum eam prædictos omnes in solidum cogi posse, ipsarumque decimarum Procuratores, sive Exactores à quibus libuerit integrè exigendi, optionem facultatemque habere, omnesque, & singulos pensionarios, quacunque auctoritate, dignitate, præminencia præfulgeant (Cardinalibus, ac Militibus S. Joannis Hierosolymitani præfatis ob causas supra expressas tantum exceptis) ad ipsarum decimarum solutionem, pro rata cujuscunque pensionis, teneri, & obligatos esse, neque ullum jus, & actionem, etiam in vim cujuscunque pacti, & conventionis, quantumvis ex causa onerosâ, vel donationis, juramenti, obligationis Cameralis, augmenti pensionum, & cujuscunque alterius, quantumvis inexcogitate cautela & pactionis, etiam à Sede Apostolica in genere, vel in specie, atque individualiter cum illarum, & illorum inserto tenore approbatorum & confirmatorum, ac forsan præfato quinquennio durante approbandorum aliquid aliquando ab his Titularibus repetendi competere, sed ipsos Pensionarios ad decimarum huiusmodi solutionem pro rata suæ cujuscunque pensionis, præfato quinquennio durante teneri, ac per eos ad quos spectat, & pro tempore spectabit, cogi & compelli posse, seu debere.

Exactori-
bus datur
facultas
Decimas
redituum
ad annum
valorem
pensionum
pro rata
cujuscunque
pensionis
integrè
exigendi.

§. 11. Omnes vero confessiones, ac Quietantias receptionis decimarum à Procuratoribus, & Ministris Cameræ prædictæ tam Conductori-
bus, Censuariis, & Affictuariis nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, nec non possessoribus usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructusolvere debentibus nomine Pensionariorum faciendas, perinde valere, atque in iudicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & Pensionariis præsentibus, & solventibus factæ & exhibitæ fuissent.

De Valore
Quietan-
tiarum.

§. 12. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam quoad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere.

De loca-
tione Con-
ductorum.

§. 13. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque Apostolicæ Nuncios in quavis instantiâ, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari, & definiti debere, ac irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

Clausula
sublata &
Decretum
irritans.

§. 14. Ut autem omnia prædicta, sicut causa urgens postulat, diligenter & feliciter exequutioni demandentur, præfatum Palatium Cardinalem Camerarium, cujus integritas, fides, atque experientia, notaque devotio jam pridem Nobis perspecta sunt, Generalem omnium decimarum prædictarum Collectorem in Italia, & Insulis illi adjacentibus huiusmodi, cum omnibus, &

Cardina-
lis Palatium
Collector
Generalis
cum plenaria
cogendi & absol-
vendi facul-
tate
constituitur.

quibus.

quibuscunque privilegiis, jurisdictionibus, ac juribus, quæ omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate prædicta tenore præsentium constitutum, & deputamus, eique plenam, liberam, & absolutam facultatem & auctoritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Camera prædictæ nomine procurandi, prædictos omnes, tam conjunctim, quam divisim, ad illarum integram solutionem, ut prædictum est, faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monenti & requirenti non parentes, fraudulentos, & cæteros contumaces in censuras, & penas prædictas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, proprietates, res, fructus & alia bona ipsorum, etiam manu Regiâ apprehendendi, usque ad condignam satisfactionem retinendi, contradictores, perturbatores, & rebelles quoscunque, eisque auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, quovis quæsit colore præstantes, cujuscunque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & penis Ecclesiasticis, nec non pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & removendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quancumque opus fuerit invocandi; illos verò, qui resipuerint, ac debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & penis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ, absolvendi, super irregularitate forsan incurâ, dummodo tamen in contemptum Clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi.

§. 15. Præterea Collectores & Subcollectores, viros ubique providos, ac fide & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderit expedire, cum simili, vel limitatâ, non tamen absolvendi potestate, constituendi, eumque, vel eos ejus arbitrio revocandi, negligentes & morosos removendi ac alium, seu alios subrogandi, quoviscunque ei videbitur, ac ab eis eorumque hæredibus, & successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentes, & suspectos per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, & meritis penis puniendi, modos, & formas in prædictis servandos præscribendi, dubia quæcunque in præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quæcunque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi & exequendi, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum; Ea tamen conditione adjectâ, quòd Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut præfertur, faciendam, nullo modo censeantur exempti à solutione trium decimarum prædictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum solvere debent.

§. 16. Non obstantibus felicitis recordationis præfati Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus inter alia cavetur, quòd Clerici Regulares Societatis Jesu à solutione decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac B. M. Pii V. duodecim Congregationibus præfatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum de unâ, & in Concilio Generali editâ de duabus dictis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum & locorum prædictorum, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, nec non quibuscunque privilegiis, indultis,

exemptionibus, etiam in corpore Juris clausis, Immunitatibus, Litteris Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus Regularibus, Locis, Capitulis, Dignitatibus aliisque quibuscunque personis supradictis, tam Secularibus, quàm Regularibus generaliter, vel specialiter sub quâcunque formâ, & verborum expressione ab eadem Sede, etiam ex concordia, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut aliâ, ex qualibet alia causa, etiam hic non expressâ, & necessariò exprimendâ concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hac vice dumtaxat harum serie latissimè & plenissimè, ac specialiter, & expresse pro hac piâ causâ derogamus contrariis quibuscunque. Seu si Prælati, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & locis, vel quibuscunque aliis, communiter aut divisim, à præfata sit Sede indultum, quòd interdicti, suspensi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, nec non personis, earumque nominibus & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis & Ordinibus, in locis hujusmodi mentionem, & quibuscunque aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, vel in specie quancumque concessis, confirmatis & innovatis, etiam solutionem decimarum aliâs quàm secundum antiquam taxam & nisi in universali decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, nec non promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis, in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas quoad præmissa contrâ quemcunque locum habere, similiter declaramus, aliisque indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscunque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in Nostri Litteris mentio specialis: Quæ omnia contrâ præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Nec non aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint, factis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 17. Ut verò subsidia hujusmodi magis prompta haberi possint, & decimas prædictas solvere debentes ad compositionem cum dictâ Camera Apostolicâ deveniendum per amplius invitentur, statuimus & decernimus, quòd si ante quinquennium prædicti terminationem decimarum solutio, ut infra cessaverit, eadem Camera Apostolica ad restitutionem, & refectionem pecuniarum ab eisdem decimis provenientium illis, qui ut præfertur, cum eâ concordaverint, faciendam, pro ratâ tamen temporis ante dicti quinquennii lapsum decursi, & summæ per eos solutæ omnino teneatur. Et insuper volumus, quòd si, favente Deo, causæ, propter quas decimarum prædictarum impositio emanavit, ante quinquennium hujusmodi cessaverint, etiam decimarum hujusmodi solutio cesset, & cessasse censeatur eo ipso.

§. 18. Insuper in percipiendis decimis prædictis, Constitutionem rec. mem. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris Nostri in Concilio Viennensi editam, quòd decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta Divino cultui dicata ex causâ pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut aliâs quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quicquam etiam plurâ quantuncq; valoris Beneficia Eccle-

Camera Apostolica, cessante ante quinquennium solutione ad restitutionem pecuniarum, concordantibus cum eâ obstringitur.

Confirmatur Constitutio Clementis V. & taxatur solutio quietantiarum etiam pro obtinentibus plurâ Beneficia.

Datur que facultas constituendi, removendi & subrogandi Collectores & Subcollectores sine tamen potestate absolvendi sineque eorum exemptione à solutione decimarum.

Derogatio contrariis.

Præfata
decimæ
abque ra-
tæ dedu-
ctione a-
pud Came-
ræ Aposto-
licæ Depo-
sitarium
deponen-
dæ.

Pœna u-
furpatori-
bus & de-
ceptoribus
infigenda.

Transum-
ptorum
fides.

Præfentes
debitis in
locis pub-
licandæ.

Sanctio
pœnalis.

D.27. Se-
ptembris
1683. P. A.
septimo.

fiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mix-
tim obtinens pro Litterâ, & sigillo quietantiæ uni-
versalis, si illam habere voluerit, ultra unum Carole-
num conficientem quatinus triginta septem monetæ
Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam
prætextu Cambii uspiam compellatur.

§. 19. Volumus autem, imò jubemus, quòd decimæ
præfatae integrè tam hic in Urbe, quàm extrâ absque
ulla ratæ deductione; (præterquam ratam compe-
tentis salarii in Subcollectorum in partibus deputan-
dorum Litteris patentibus, ut præfertur designan-
dam, quæ summam quatuor pro centenariò non ex-
cedat) penes ejusdem Cameræ Apostolicæ Deposita-
rium deponantur, non obstante quâcunque consuetu-
dine in similibus impositionibus & exactionibus ha-
ctenus in favorem quarumcunque personarum, de
quibus specialis, specifica, expressa, & individua
mentio faciendâ esset, tam ratione officiorum, quàm
laborum quamdâ ratam ex eisdem decimis exactis
percipiendi observatâ.

§. 20. Cæterum volentes, illos quos Dei timor à
malo non revocat; saltem formidine pœnæ, & pub-
licâ disciplinâ compescere; omnes, & singulos cu-
juscunque Dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel
conditionis fuerint, etiam si Pontificali Dignitate po-
tiantur, qui de hujusmodi exigendis Decimis aliquid
usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum,
Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per
eos obtentorum, ut præfertur retinere, aut illas
exigendo, colligendo, vel conservando fraudem,
vel deceptionem aliquam committere, malitiosè
præsumperint suspendimus, nec non interdici-
mus à Divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam
privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & Benefi-
ciorum, quæ obtinent, & pensionum, quas per-
cipiunt, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in posterum
obtinenda, sententias, censuras, & pœnas incurrere
volumus ipso facto. Ita ut ab eadem excommunica-
tione ab alio, quam Romano Pontifice, præterquam
in mortis articulo, absolutionis beneficium nequeant
obtinere.

§. 21. Quia verò difficile nimis esset præfentes
Litteras ad singula quæque loca, & quocunque il-
lis opus fuerit, perferre, Volumus, ut illarum exem-
plis, etiam impressis, & Notarii publici manu sub-
scriptis, & Palatii Cardinalis Camerarii, seu alterius ab
eodem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiasti-
ci ejusque Curia sigillo obfirmatis, eadem prorsus
fides, in judicio, & extrâ illud ubique locorum ad-
hibeatur, quæ ipsis præfentibus adhiberetur, si essent
exhibita; vel ostensa.

§. 22. Ut autem præfentes ad communem noti-
tiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ S. Joannis La-
teranen. Basilicarum Principis Apostolorum, & S. Ma-
riæ Majoris de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affi-
gi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi sonoro
præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ii, quos
præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint,
aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem
prætere, seu ignorantiam allegare: Cùm non
sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum, quod
tam patenter omnibus publicatur.

§. 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam indictionum, impositionum, suspensionis,
suppositionis, innodationis, Decreti, concessionis, im-
pertitionis, prorogationis, Constitutionis, deputa-
tionis, tributionis, declarationis, voluntatis, &
præcepti Nostrorum infringere, vel ei ausu temera-
rio contraire. Si quis autem hoc attentare præsump-
serit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum
Petri, ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incurfu-
rum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem,
Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesi-
mo octuagesimo tertio Quinto Kal. Octobris, Ponti-
ficatus Nostri anno septimo.

+ Ego INNOCENTIUS Catholica Ecclesiæ
Episcopus.

MONITORIUM.

Ad favorem Provinciarum S. Antonii Brasiliæ, & Im-
maculatae Conceptionis Fluminis Januarii in eo-
dem Brasiliensi statu Indiarum Regnorum Portu-
gallicæ super observatione Bullarum Apostolicarum
Summorum Pontificum, Privilegiorum & gratia-
rum, Indulgentiarumque eisdem Provinciis con-
cessarum.

Dominicus Maria Cursus Protonotarius Aposto-
licus, utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Pa-
pæ Referendarius, nec non Curia Causarum Cameræ
Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curia
Judei Ordinarius, sententiarum quoque ac censura-
rum, tam in eadem Romanâ Curia quam extrâ eam
latarum ab eodem Sanctissimo D. N. Papâ specialiter
electus, & deputatus.

Universis, & singulis Reverendis Dominis Abba-
tibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Diaconis, Ar-
chidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurariis,
Sacristis, tam Cathedralium, quàm Collegiarum
Ecclesiarum Canonicis, Rectoribus, Presbyteris, Cle-
ricis, Tabellionibus publicis quibuscunque, illique, vel
aliis, ad quem, seu quos præfentes Nostre Litteræ
pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salu-
tem in Domino.

§. 1. Novertis, Quod infra scriptâ die in Tribuna-
li Nostro coram Nobis tanquam Litterarum Aposto-
licarum mero Executore fuit comparitum pro parte,
& ad instantiam admodum Reverendorum Patrum
Fratris Danielis à Sancto Francisco Sacrae Theologiæ
Lectoris Vicarii Provincialis, ac Præfidis Capituli Pro-
vinciæ S. Antonii Brasiliensis, & Christophori à
Matre Dei Prædicatoris Ministri Provincialis Provin-
ciæ Immaculatae Conceptionis Fluminis Januarii in
eodem Brasiliensi statu Indiarum Regnorum Portu-
gallicæ Custodem, Definitorum, & Guardianorum
strictioris observantiæ S. Francisci, & omnium illo-
rum nomine admodum Reverendi Patris Placidi à
Sancto Antonio Verbi Dei concionatoris perpetui, Pa-
tris & Custodis, & habitualis Definitoris præfatae
Provinciæ S. Antonii Brasiliensis, in Romanâ Curia
dictarum Provinciarum specialis Procuratoris, nec
non Commissarii Generalis Terræ Sanctæ Regnorum
Brasiliæ, ac Domini Abbatis Emanuelis Dias de Maf-
quita omni meliori modo Principalium, & exposi-
tum, Custodiam Brasiliensem per S. M. Sixtum Pa-
pam Quintum, quam plurimis favoribus, & privile-
giis decoratam esse, & in specie per Breve Apostoli-
cum de anno 1586. expeditum benignè indulgisse,
quòd Pater dictæ Custodiæ Custos tempore existens,
vel per seipsum, vel per quancunque aliam personam,
idoneam tamen, ad id ab eo deputatam ad Provincia-
lia præfata Provinciæ S. Antonii comitia se conferre,
& in hujusmodi comitiis votum in rebus maximè pu-
blicis hujus Custodiæ utilitatem concernentibus ha-
bere, ac tam ex dictâ S. Antonii, quàm aliò ex quacun-
que Franciscani Ordinis Provincia Fratres, qui tamen
ista in Custodia utiles fore visi sint, & ad eam tra-
jicere voluerint, assumere, secum ducere, atque ei perpe-
tuò mancipare Apostolica autoritate queat, urque ii
istius Custodiæ Fratres, qui ad prædicationis munus
obeundum, & ad Sacramentales fidelium Confessio-
nes excipiendas habiles fuerint, prædicare, atque hu-
jusmodi confessiones excipere valeant, & ut Fratres in
Sacro Presbyteratus Ordine constituti Baptismi, &
Matrimonii, nec non quancunque alia Sacramenta Ec-
clesiastica administrare, Ecclesias quoque, & in eis Al-
taria in locis de novo ad Fidem conversorum erigere,
& in eis rem divinam facere, insuper Oratoria, & Ere-
mitoria eidem Custodiæ pro tempore concedenda re-
gere, & administrare possint, ut etiam singu-
larum domorum, ac in Custodiâ pro tempo-
re Canonicè erectarum Ministri, & Fratres omni-
bus, & singulis privilegiis, prærogativis, liber-
tariis, immunitatibus, & exemptionibus, In-
dulgentiis, ac aliis gratiis tam spiritualibus quàm

XV.

Princi-
palium di-
ctarum
Provincia-
rum nomi-
na.

Privilegia
ipsis à Six-
to V. Papâ
collata
per Breve
Apostoli-
cum de an-
no 1586.

tem-